

randum, quibus ocludendum. Dominus ait: *Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?* Non vult ergo admitti cogitationes illas, quæ ascendunt in cor nostrum; tacite insinuans admittendas contra eas, quæ desuper in cor descendunt. Ascendunt porro in cor illæ cogitationes quæ de terra et terrenarum rerum amore sunt; et hæ perturbant mentem, non secus ac vapores, qui æstivo tempore ascendunt in regionem aeris mediam, ibique in nubes coacti, turbant aerem, solem obnubilant et ad extremum tempestates cient, fulgura, tonitrua et fulmina pariunt. Ita enim cogitationes terrenæ, si in ipsa cordis penetralia, ascendant, mentis tranquillitatem et perspicacitatem turbant hominemque exagitant et in gravia sæpe peccata, quandoque etiam in desperationem impellunt. Hujusmodi erant cogitationes discipulorum de metu Judæorum, de formidine spectri, de diffidentia resurrectionis Dominicæ, etc. Ideo Dominus: *Quid turbati estis, inquit et cogitationes ascendunt in corda vestra?* q. d. ideo turbamini, quia ascendunt in vos cogitationes. Aquam turbari dicimus, cum limus in profundo residens ascendit in superficiem aquæ: quæ nisi perturbetur, clara et pellucida erit. Et cur tu perturbaris? mentisque tranquillitatem perdis? Nonne quia amorem inordinatum hujus vel illius personæ vel rei in cor ascendere passus es? Nonne quia injurias, quas oblivione sepelire et pedibus subjicere debebas, ob oculos tibi ponis? Nonne quia honores, opes et mundum, quæ calcare debebas, mente agitas? Infimus animæ locus terræ et terrenis rebus debetur, supremus cælo et cælestibus. Admittendæ cogitationes, quæ de cælo in cor descendunt: intueri quæ Christus pro te passus sit, expende gravia damna, quæ ibi inordinatus amor affert; pericula, quæ honor, divitiæ; bonum maximum, quod inimici te persequentes: cogita peccata tua quid mereantur, etc. et tunc haud dubie non turbaberis, sed plenus solatio conquiesces. Hinc Magdalena sedens ad pedes Domini, quia ex illius ore sanctæ cogitationes descenderant in cor ipsius, minime turbata est: contra vero Martha, quia terrenis cogitationibus occupabatur, sollicita fuit et turbata erga plurima. Limpidam quæris aquam? Noli fundum ejus exagitare. Serenam et quietam vis mentem tuam? Noli amorem et curas sæculi in cor admittere.

VI. Discite non omnia prorsus quæ ad salutem nostram sunt necessaria, a Christo præstita esse, sed quædam etiam a nobis præstanda, uti pœnitentiam, per quam applicentur nobis

Christi merita. Ait enim hic Dominus oportere in nomine ejus prædicare pœnitentiam et remissionem peccatorum. Illa opus nostrum, hæc opus Christi est: illa præcedere, hæc sequi debet. In cujus rei figuram, prius adeps hostiæ cremandus erat, Lev. IV. postea a sacerdote hostia absumberetur, Lev. VI. Quia nimirum peccator prius affligere cor per compunctionem debet, postea ejus peccata abolebit Christus summus sacerdos. Non erat satis Jeremiæ in cœnosum lacum misso demitti pannos et funes, ut e cœno emergeret vitamque servaret; ipse suam quoque operam ad hoc conferre debuit, pannos nimirum supponere axillis et funes fortiter apprehendere, ut extrahi posset; unde Æthiops ad eum eximendum ablegatus demissis pannis et funibus dixit ei: *Pone veteres pannos et hæc scissa et putrida sub cubito manuum tuarum et super funes*: atque ita extraxit eum, Jer. XXXVIII. Quinam illi panni, nisi Christi merita quibus nos vestimur? Quænam illa scissa nisi membra Christi discissa in passione? Quænam illa putrida, nisi crucis ignominia, *Judæis quidem scandalum, gentibus vero stultitia?* Quinam funes nisi pœnitentia? Hanc ergo amplecti, illis inniti debet, qui in barathrum peccati cecidit, si emergere velit.

VII. Perpendite virtutes Christi plane admirabiles, ac primo humanitatem et suavitatem, dum discipulos suos invisens suavissime salutatur, ac ne eos velut calamos quassatos confringat perterrendo, clanculum ingreditur et timorem ponere jubet, pluribus argumentis ostendens se ipsorum Dominum esse: necnon potestatem eis faciens ut tangere ipsum possint.

Secundo, charitatem, dum non contentus prioribus indicis, vult etiam coram illis edere, nullo adductus cibi appetitu, sed amoris tantum affectu, ut eos lucrifaciat; non enim cibum corporeum desiderant glorificata corpora, sed vescuntur aliis cibis invisibilibus et cælestibus, qui tanto nobiliores sunt epulis nostris, quanto cœlum terram superat.

Tertio, humilitatem, dum ipse in tam glorioso statu non dedignatur tam humiliter versari cum discipulis suis rudibus et pauperculis piscatoribus, necnon eodem cum illis cibo vesci. In cæteris hominibus plerumque honores mutant mores; sed non in Christo Domino.

Quarto, clementiam, quandoquidem injuriarum acceptarum oblitus, ne verbo quidem mentionem facit; non interrogat, cur fugerint, cur negarint, cur in cruce eum desuerint; nihil illis triste ingerit, læta solum tractat et ad mentis serenitatem eos componit, quia nimirum olim

per os prophetæ dixerat: *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*, Ezech. XVIII.

Quinto, denique liberalitatem, quando cibi sui reliquia discipulis communicavit, volens utique ostendere se eandem gloriam, quam in cœlis habet, facturum esse communem omnibus electis, ut edant ac bibant ibi super mensam ejus, quod nobis etiam ipse pro sua ineffabili munificentia dignetur impertiri.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Cur in medio stetit Christus? — II. Cur pacem precatur suis? — III. Cur ait: Ego sum, nolite timere? — IV. Quid assus piscis et favus mellis? — V. Cur reliquias dedit discipulis? — VI. Quot modis probavit Christus suam resurrectionem? — VII. Cur tot modis probabit?

THEMA.

Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Luc. XXIV.

Cum Jacob patriarcha post visionem scalæ illius proficisceretur in terram orientalem, Mesopotamiam videlicet, accepturus sibi uxorem, vidit puteum in agro, cujus os grandi lapide claudabatur, ovium quoque greges juxta eum accubantes; qui ut bibere possent, amovit a puteo lapidem solus, quod ex pastoribus ovium nemo præstare poterat, junctis plurium viribus amoveri debebat, Gen. XXIX. Quis hic Jacob, auditores, nisi Christus Dominus, qui post visionem illam mirabilem scalæ seu crucifixionis suæ pervenit in terram orientalem, hoc est, in statum vitæ gloriosæ et immortalis accepturus sibi paulo post sponsam, cœlestem beatitudinem seu Ecclesiam in cælo triumphantem, invenitque in hujus sæculi agro gregem discipulorum suorum, simul in eadem domo congregatorum? Erat juxta eos sacræ Scripturæ puteus, unde aquam sapientiæ expectabant; sed a scribis et Pharisæis grandi lapide ignorantæ et invidiæ clausus erat; unde audierunt Christum sibi dicentem: *Væ vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis*, Luc. XI. Quid igitur Dominus? Adaquaturus gregem suum, removit hodie lapidem a puteo Scripturæ, *cum resurrectionis suæ apostolis sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas*, inquit Lippomanus. Nemo hoc ante Christum solus et perfecte præstitit: omnes legis doctores quod

agerent habebant, si lapidem hunc amoveri vellent. Quando igitur nunc Christus aperuit nobis puteum istum, accedamus ad illum et nos, adaquemus animas nostras aqua sapientiæ.

I. Cur in medio discipulorum stetit Christus? Resp. primo, ad litteram, ut ab omnibus pari in distantia videri, agnosci, palpari et audiri posset, sicque omnium animos per fidem et præsertim resurrectionis suæ ad se traheret. Erant igitur hic discipuli Christi sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ Domini, ut ab eo omnes simul videri, salutari, recreari, et pane verbi divini pasci possent. Nulli vicinior esse voluit, ne invidia et contentio inter eos oriretur, quis eorum videretur esse major; quod antea quidem contigerat. Secundo, symbolice, quia Christus est medium totius universi: media in SS. Trinitate Persona inter Patrem et Spiritum s. mediator inter Deum et homines per opus redemptionis; medius nexus inter creatorem et creaturas; quia omnia per ipsum facta sunt. Ea propter in universo medium fere locum semper obtinuit per totam vitam: media nocte natus est, Sap. XVIII. infans medius inter duo animalia reclinatus in præsepio; puer in medio doctorum inventus; juvenis inter matrem et nutritium domi adolevit; vir in medio fuit apostolorum sicut qui ministrat; doctor in medio terræ salutem operatus est; moriens in medio latronum pependit; in cælo medium tenet inter Patrem et electos. Ipse adhuc est quasi canalus medius per quem a fonte vivo, Deo fluunt ad nos aquæ vivæ gratiarum: ipse est scala Jacob, qua mediante ascendimus e terra in cœlum. Tertio, tropologice, ut doceat nos amare auream mediocritatem, qualis est omnis virtus, quæ in medio consistit, uti temperantia inter ingluviem et famem, liberalitas inter avaritiam et prodigalitatem, pax et concordia inter dissidentes, etc. Unde S. Ber. serm. I. de S. Michaeli ait: *Amat semper media Jesus, diverticula semper et reclinatoria reprobat Filius hominis, Dei et hominum mediator.*

II. Cur salutatur eos pacis imprecatione? Resp. primo, ex recepto Hebræorum more, qui obviantes sibi necnon incolas et domos ingressi salutabant: *Salomlath, pax vobis*, vel *pax huic domui*, ut præcipit Dominus, Matth. X. discipulis. Pacis autem nomine Hebræi intelligebant omne bonum seu prosperitatem. Ita II. Reg. XVIII. ait David: *Estne pax puero Absalon?* q. d. estne illi bene? Salvusne est? Prosperene agit? Salutatur ergo Dominus suos humano et recepto more, ne aspectu ejus repentino et miro vehementius perturbentur. Secundo, ut denuntiet illis venire se ut amicum, non ut inimicum. Primum, quod ab

exteris peregre advenientibus quæritur a custodibus: Quinam vos? Amici an inimici? Ita seniores civitatis Bethlehem, ingrediente urbem Samuele propheta, dixerunt ei: *Pacificusne est ingressus tuus? Qui respondit? Pacificus*, I. Reg. XVI. Ita Paulus ad Corinth. scribit: *Quid vultis? In virga veniam ad vos; an in charitate et spiritu mansuetudinis?* I. Cor. IV. Quia igitur discipuli dubitare poterant, quisnam et quo animo ingredere-tur ad se in conclave, non petita prius licentia nec facta denuntiatione, idcirco dubitationem illis adepturus Christus amicum se ostendit et pacificum ingressum suum. Noluit optimus Dominus vel ad breve spatium perturbari suos propter se aut perplexos hæsitare, quantum erat in se.

Tertio, ut fructum prælii et victoriae suæ eis nuntiet et communicet. Ut enim Samson favum mellis quem in ore leonis a se occisi reperit, communicavit mox familiae suæ, Jud. XIV. ita Christus pacem quam velut suavissimum spoli-um tulit de triumphata morte, attulit familiae suæ apostolicæ, ut hinc discerent devictum esse diabolum ac mortem, reconciliatum mundo Deum. *Favus mellis composita verba*, inquit Sap. Prov. XVI. Talia autem verba erant illa: *Pax vobis, nolite timere*. Unde ad hoc significandum paulo post favum mellis a se gustatum, discipulis communicavit, ut participes essent gaudii resurrectionis suæ.

III. Cur addit: *Ego sum, nolite timere?* Resp. quia vidit Dominus varias cogitationes timorem incutientes ascendere in corda discipulorum. Primo, vidit suam apparitionem fore eis insolitam et prodigiosam, adeoque panici timoris causam; idcirco prævertere abstergendo timorem voluit. Solent enim ipsa quoque mortuorum umbræ, terrorem vivis incutere, ut patet in his discipulis, qui conturbati et perterriti existimabant se spiritum videre, ait igitur: *Ego sum*, hoc est: ille idem qui alias fui, magister et protector, Dominus et amicus vester.

Secundo, quia propterea etiam discipuli poterant ac debebant merito terreri aspectu Domini sui, quod scirent se in eum non leviter deliquisse partim ob desertionem, partim ob diffidentiam de ejus resurrectione, et in specie Petrus ob negationem. Sic enim et fratres Josephi, cum viderent et audirent eum dicentem se esse Josephum ab ipsis venditum, non poterant respondere, nimio terrore perterriti. Ergo sicut Joseph tunc vocatis ad se fratribus suaviter aiebat: *Ego sum Joseph frater vester, quem vendidistis in Egyptum: nolite pavere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus; pro sa-*

lute enim vestra misit me Deus ante vos in Egyptum, Gen. XLV. ita nunc et Christus erecturus ad confidentiam discipulos: *Ego sum*, inquit, nolite timere: ut ostendit *ibi* Ambrosius.

Tertio, quia verisimile est eos ex recenti spectaculo passionis et mortis Christi, timore ac terrore plenos adhuc fuisse, idcirco jubet Dominus ponere timorem, si quidem ipse devicta morte redivivus appareret, gloriosus et immortalis. Ac propterea ut probabiliter existimat Sanct. Augustinus, serm. CLVI. de tempore, et Sanctus Bonavent. in medit. splendido apparuit habitu et vestitu ex aere et luce formato, ut discipulos eo splendore ad spem gloriosæ resurrectionis erigeret. Terribilium quidem omnium terribilissimum, mors; sed si resurrectio nuntietur, deponendus timor est; quemadmodum nec gemunt, sed canunt potius agricolæ cum sementem jaciunt, quia sperant ea grana, quæ nuda et pauca seminarunt, sese recepturos vestita cum fenore.

IV. Quid sibi vult piscis assi pars et favus mellis? Resp. primo, indicare partim egestatem, partim temperantiam discipulorum, qui residuas istas cibi partes de mensa sustulerint et futuræ fami reservarint. Solent enim pauperes fere quod superfluum est mensæ, reservare in futurum; prodigi et helluones omnia devorare solent. Piscis etiam assatura minimo impendio constat, nulla confectione eget: pisces vero habere non difficile poterant, quia aliqui piscatores erant. Nullæ hic cupediæ, nulla bellaria.

Secundo, allegorice piscis assus significat Christum in cruce tostum igne amoris et ligno crucis seu doloris. Unde August. tract. CXXIII. *Piscis assus Christus est passus*, inquit. Favus mellis significat gaudium et dulcedinem Dominicæ resurrectionis, quam ob causam solent Christiani in feriis paschalibus favum ab Ecclesia benedictum edere ad memoriam Christi redivivi. Diximus supra, leonem illum a Samson occisum, cum ad eum post aliquot dies Samson diverteret in reditu, habuisse in ore favum mellis. Quis autem leo occisus, nisi Christus leo de tribu Juda, qui post triduum redivivus favum immortalitatis secum attulit tam sibi quam toti humano generi? Verum audiamus hac de re S. Greg. hom. XXXIV. super evangelia: « Quid signare piscem assum credemus, nisi ipsum mediatorem Dei et hominum passum? Ipse enim latere dignatus est in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis nostræ, et quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ. Sed qui piscis assus fieri dignatus est in passione, favus mellis nobis extitit in resurrectione. Nam qui in pisce asso figurari voluit tribulationem passionis suæ,

in favo mellis utramque naturam exprimi voluit personæ suæ. Favus quippe mel in cera est, mel vero in cera est divinitas in humanitate. Quod ab hac quoque lectione non discrepat, nam piscem comedit et panem. Qui enim assari ut piscis potuit ex humanitate, pane nos reficit ex divinitate, qui ait: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendit*. Assum ergo piscem comedit et panem, ut ipso suo cibo nobis ostenderet, quia et passionem ex nostra humanitate pertulit, et refec-tionem nostram ex sua divinitate procuravit. »

Congruit Salvatori nostro Græcum piscis vocabulum cujus initiales constituunt hanc sententiam, Jesus Christus Dei Filius Salvator; ut habetur in acrostichis Sybillæ, quam recenset Euseb. I. IV. de vita Constantini.

Tertio, tropologice significat hæc merenda asperos et difficiles virtutum labores semper sequi mel dulcis consolationis et mercedis. Piscis enim qui tribulationem significat, prius Christo oblatum est, postea favus mellis. Christus prius piscem edit (imo piscis assatus fuit) in passione, postea favum mellis in resurrectione. Hoc est quod dicitur Sap. III. *Bonorum laborum gloriosus est fructus*. Ex agriculturæ sudoribus, seges: e negotiationis periculis, quæstus: e militiæ vulneribus, victoria: e studiorum vigiliis, doctrina: e virtutum exercitatione, regnum cælorum. Pulchre eard. Baron. in martyrologii præloquio, c. X. *Favum mellis a ss. martyribus in persecutoribus rabie coagmentandum, favus ille mellis ex ore leonis a Samson depromptus typice demonstravit*. Martyres ergo a faucibus persecutorum favum gloriæ immortalis eruerunt. S. etiam Hieronymus cum labores suos pertinacissimos in lingua Hebræa narrasset, ep. ad Rusticum, subdit: *Gratias ago Domino quod de amaro semine litterarum dulces fructus carpo*.

V. Cur reliquias cibi dedit discipulis? Resp. primo, ad litteram, ut eas asservarent, juxta id Joan. VI. *Colligite quæ superaverunt fragmenta ne pereant*. Vel ut ipsi etiam ederent atque ita prius reficerentur, quam ad labores evangelii pergerent. *Columbæ in terram longinquam mittendæ*, inquit Didacus Stella, in Luc. c. XXIV. *prius tritico melle mixto cibantur, ut semper contentur ad locum, quo delicatius se tractatas fuisse meminerunt, redire*; sic prius refecti apostoli, quam ad labores mitterentur. Secundo, symbolice, quia ipsi etiam apostoli tribulatione et persecutione assandi erant, ac postea celestis beatitudinis favo recreandi. Nobis quoque omnibus has reliquias reliquit, quia non edet favum mellis in cælo, qui non comedit in terra piscem tribulationis. Assari igitur non recuset qui favum edere vult.

Unde venerabilis Beda: *Cum asso pisce favus sumitur; quia qui hic afflictionem pro veritate suscipiunt, illic dulcedine vera satiantur*.

Tertio, tropologice, ut doceamur aliis indigentibus communicare, postquam ipsi comedimus non solum cibos illos, qui corpus, sed eos etiam qui animam reficiunt, Dei verbum, sapientiam, scientiam: præsertim vero iis, quibus maxime obligati sumus, parentes liberis, præceptores discipulis, domini servis, pastores oviculis. Sic enim Christus suis discipulis favum et piscem, sic Samson favum suum parentibus primo, et ut scribit Josephus, sponsæ communem fecit.

VI. Quot modis demonstravit Christus suam resurrectionem discipulis? Resp. quatuor potissimum. Primo, visu, dum se illis conspiciendum dedit, dicens: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum*. Ac licet splendidiore habitu et vultu, ut supra diximus, apparuerit, non tamen aliis lineamentis a priore aspectu diversis: ut agnosci posset. Secundo, tactu: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Tetigisse autem apostolos Christi manus et pedes admodum probabile est. De Thoma non est dubium, de cæteris videtur asserere Joan. ep. I. c. I. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostræ contrectaverunt* (Græce *palparunt*) de verbo vitæ. Nam et cibum ei porrexerunt et ab eodem receperunt. Ad hæc amplexati eum videntur in adventu vel recessu, vel osculati ejus pedes. Atque ita sentiunt S. Leo, Augustinus, Athanasius, Beda, et alii. Tertio, gustu, dum coram eis edere voluit. Fuit autem comestio illa vera vitalis actio, vera masticatio cum perceptione gustus et traiectione in stomachum, quamdiu absque digestionem et conversionem cibi in carnem, quia corpus gloriosum non eget nutrimento. Cibus ergo ille in aerem mox a comestione mutatus est. Caritas illum comedere fecit, ut probaret se constare corpore, non esse spiritum, uti putabant discipuli. Quarto, auditu, dum eis locutus est, et Scripturas explanavit.

VII. Sed cur tot modis ac mediis probavit suam resurrectionem Dominus? Resp. primo, quia discipuli erant deputati ad prædicandum evangelium, adeoque ad persuadendam aliis Christi resurrectionem; ergo in hoc articulo fidei firmissimi esse debebant. Ipsi exploratores terræ sanctæ, id est, humanitatis Christi erant, ut eam aliis describerent ac dilaudarent; unde eam videre, audire et tangere debuerunt. Propterea S. Petrus, Act. X. ait, eum post resurrectionem apparuisse non omnibus, sed testibus a Deo præordinatis.

Secundo, quia articulus resurrectionis præci-

puus est in fide nostra, ideoque bene firmandus fuit. *Nam si Christus non surrexit*, inquit apostolus, I. Cor. XV. *inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra*, quia frustra expectaremus nos resurrectionem nostram; et in ea retributionem meritorum, qua sublata spe, miserabiliores essemus omnibus hominibus, ut ibidem ait apostolus, velut qui falsa et inani spe dira pateremur et dura ageremus. Jam si in ore duorum vel trium stat omne verbum, cur non credatur resurrectio Christi, tribus comprobata sensibus? Unde Tertullianus, lib. de anima, cap. XVII. ait: *Falsa utique testatio, si oculorum et aurium et manuum sensus natura mentitur*. Atque hoc est, quod

ait S. Lucas, Actor. I. *Præ ait seipsum vivum* (discipulis) *in multis argumentis*. Talia enim fuerunt tot Christi apparitiones, manducationes, locutiones, stigmata plagarum, quæ ostendit, tangique a Thoma voluit; miracula, ut cum clausis januis ad discipulos introivit, et subito eum vellet disparuit: quæ omnia sat superque demonstrarunt Christi resurrectionem. Nobis ergo, auditores, non jam querendum est, an Christus resurrexerit, sed qua ratione vita nostra instituenda sit, ut cum ipso aliquando resurgere mereamur ad beatam immortalitatem, quam nobis largiatur, qui triumphata morte resurrexit victor gloriosus, *Christus Jesus*. Amen.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

FAVUS PASCHALIS VITA BEATORUM POST RESURRECTIONEM.

I. Quia fulgebunt gloriosi quatuor corporis dotibus. — II. Satiabuntur sine fastidio. — III. Habebunt etiam corporis proportionatas delicias. — IV. Conversationem habebunt jucundissimam. — V. Stabili fruuntur felicitate. — VI. Omnes se mutuo amore pariter complectentur.

THEMA.

Obtulerunt ei favum mellis. Luc. XXIV.

Nihil hoc paschali tempore notius, nihil et usitatus quam paschalis favus, qui nunc omnium mensas ornat haud dubie ob favum mellis, quem in die resurrectionis suæ gustavit Dominus noster, ut in hodierno evangelio audivimus. Quid vero is designet, S. Gregor. Nyssenus, ven. Beda, Haymo gl. ord. disserunt, gloriam videlicet resurrectionis et dulcedinem beatæ illius vitæ, quam expectamus post communem resurrectionem. Christus enim, *qui piscis assus fieri designatus est in passione, favus mellis nobis extitit in resurrectione*, ait Beda in hodierno evangelio. Favus est mel in cera, gloria resurrectionis est abundantia gaudiorum in corpore glorificato. Præsignatus est hic favus et Hebreis in v. t. etiam ostensus in figura, per illum favum mellis, quem reperit in ore leonis a se jugulati Samson, quando reversus est ex Thamnata de sponsa sibi conjuge, e quo imprimis dedit partem suis parentibus, ut refert S. Scriptura, Judic. XIV. deinde tres partes attulit sponsæ suæ

dilectæ, ut addit Joseph, lib. V. antiq. c. X. et S. Ambr. ep. LXX. Leo sevus, qui in Samsonem accepturum sibi sponsam irruit, ab eoque dilaceratus est, mortem diræ crucis indicat, de quo Dominus per Psalmist. Ps. XXI. dixit: *Salva me ex ore leonis et a carnibus unicornium*. h. e. a morte crucis. Mortem enim Dominus moriendo superavit, insuper etiam reversus ab inferis favum mellis, h. e. gloriam et dulcedinem resurrectionis ex ore leonis eruit, meritorum suorum manibus; et inde quidem partem suam dedit patribus v. t. quasi parentibus suis: sponsæ vero suæ Ecclesiæ reliquum copioso munere attulit. Jam vero videor mihi videre vos, auditores, acuere dentes in hunc favum, et sciendi cupidos, quis et qualis sit futurus iste favus; qualis beatorum felicitas post communem resurrectionem, quam expectamus. Hoc indagabimus ex vivendi ratione, quam tenuit post resurrectionem suam Christus: atque inde favum illum nonnihil delibandum vobis apponemus.

I. Christus attulit redivivus secum quatuor dotes corporis glorificati; e quibus claritatem tamen abscondit; quia oculi mortalium ferre eam non potuissent, teste D. Aug. l. XXII. de civit. c. XIX. « Claritas, inquit, in Christi corpore cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille a suis ita deberet attendi, ut posset cognosci. » Eam tamen procul ostendit ss. patribus quos una secum suscitavit; et forsitan aliqua etiam ex parte discipulis suis, quando in cælum gloriosus ascendit. Impassibilitatem ostendit, cum quinque vulnerum cicatrices sine

omni dolore retinuit, quæ tamen S. Franc. utpote adhuc mortali, impressæ dolorem continuum causarunt et sanguine stillarunt. Rursum quando vitam omnem famis et sitis expertem per quadraginta dies duxit, qui tamen prius post totidem dierum jejunium esuriit. Ac licet aliquando comedissem legatur resuscitatus, nulla tamen appetitus indigentia, sed ad comprobationem resurrectionis suæ comedit. Denique immortalis corpore ad cælos ascendit. Agilitatem demonstravit, quando in momento jam hic, jam alibi, ubicumque voluit, adfuit, sine omni lassitudine aut labore; et quando in cælum ascendit, prius paulatim propter astantes, deinde in momento, ubi ab oculis eorum subtractus est. Deinde subtilitatem sui corporis comprobavit, quando e lapideo et obserato sepulcro exiit, posteaque januis clausis ad discipulos ingressus est.

Considerate jam quæ suavitas, quæ felicitas sit futura electorum, quando jam induti splendido et glorioso corpore pati nihil poterunt; multo minus mori: quando nullo impediti obstaculo, montium, murorum, munitionum: quominus omnia perumpere, omnia penetrare queant: quando in ictu oculi quaquaversum instar aquilæ evolare, et quocumque placuerit loco esse et constituere se corpore et animo: sine omni fatigatione, sine fame et siti semper jucundari. Quid non moliantur in terris homines ut se tueantur contra adversarios? Edificant civitates et mœnia, arces in summis montibus, propugnacula et munitiones: pro tutela corporis constituunt satellitia, comparant geruntque arma. Quid non ut appetitum edendi et bibendi exsantiant? Quid non excogitant, ut itinera celeriter conficiant? Equos cursores adhibent, et mutant, currus agitant, naves remis et velis impellunt, currunt, sudant. Quid non, ut splendide se vestiant, pecuniarum impendunt? Nullo horum indigebimus in beata illa vita. O dulcis igitur vita! O melleus favus!

II. Non eadem specie et effigie Christus semper apparuit, sed alia et alia prout ei placuit, modo hortulani, uti Magdalenæ: modo peregrini, uti duobus euntibus in Emmaus: modo viri gravis et mercatoris, ut observat S. Chrys. in c. XXI. Jo. Ita beati post resurrectionem vestientur stola immortalitatis et lumine gloriæ, ut nullo unquam fastidio sui ornatus capiuntur, quasi novis semper, et novis gaudiis perfundendi et ornatibus vestiendi: quomodo manna Hebr. in deserto quoscumque saporis quarumcumque rerum exhibuit. Insolentes aliqui gloriosum sibi reputant, si vestium splendorem quotidie immutent. Nero imperator nul-

lam vestem bis induit, teste Sueton. Heliogabalus imp. non modo non eandem vestem, sed nec calceamenta, nec annulum iterato resumpsit, teste Lampridio, quo videlicet novi apparerent, et gloriam suam ostenderent. At vero hæc in terris innovatio finem habet, reditque ad primordia sua, ut vel nostro sæculo experimur, ubi post tot vestimentorum variationes cernimus redire sensim antiquos Germanorum, prius reprobatos habitus. Verissimum enim illud Ecclesiæ. *Nil sub sole novum*, quando eadem recurrunt subinde, et quod nunc est, fuerit olim. Non ita supra solem: sola beatitudo semper eadem quoad substantiam et immutabilis est, ut simul tamen absque fastidio velut nova et recens appareat et appetitum provocando satiet et satiando provocet. Unde S. Gregor. l. XVIII. mor. c. XVIII. de angelis (par ratio in hoc de hominibus beatis) ait: *Desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur, et satietas sine fastidio ex desiderio semper accenditur*. Multa nova, mira, inusitata et inaudita vidit et audivit regina Saba in aula Salomonis; non tamen ita inescata et delectata est, ut ubi manere vellet semper: sed quasi jam ad nauseam saturata deliciis Salomonicis, reversa est cum servis suis in terram suam, III. Reg. c. X. At vero in cælo tam mira et nova variarum rerum objecta semper sibi invicem succedunt, ut nemo inde migrare velit, quia nemo satiari poterit.

III. Comedit et bibit nec sine gustu, quod voluit: tametsi sine necessitate aut esurie, sine fastidio aut gravedine. Nam cibum sumptum aut annihilavit aut in aerem aliamve materiam convertit: quomodo sol attrahendo aquas convertit in vaporem et aerem: ut S. August. observat, epis. XLIX. *Aliter, inquit, absorbent aquam terra sitiens, solis radius candens; illa indigentia, iste potentia*. Habebunt enim corpora beatorum gloriosa etiam suas proportionatas adeoque singulis sensibus singulas convenientes oblectationes et delicias, tum quia eas labore suo meruerunt; tum ne frustra in cælo sint, tum denique quia et damnati sensuum pœnas habebunt. Quemadmodum igitur nuptias celebrante Domino, sua etiam famuli nuptialia habent gaudia, herilis lætitiæ participes, convivantur, jucundantur, splendide vestiuntur; ita par est, ut dum animæ beatorum cælestibus perfruuntur gaudiis, assidentes sponso suo, socia quoque corpora, quæ fideliter eis ministrarunt, suo modo recreentur, tametsi longe sublimiori, quam hic in terris soleant. Ita docet S. Aug. ep. XLIX. citat. adjiciens: « Futuræ ergo resurrectionis corpus imperfectæ felicitatis erit, si cibos su-